Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8184
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

ubi iussu octaviani augusti terra per magna spatia perfunde effossa et per incisas radices miseni montis introductum mare stationem classibus tutam dedit. Stat et prope hoc mare terribilis et mire magnitudinis cripta que totum misenum montem cavare videtur, et per sinuositates et varios reflexus suos draconaria dicitur. Hec stillantes desuper iugiter aquas recipit et reservat. Stetit et mirabilis piscina neronis, quadraginta octo pilis innixa, que currentes a sarno flumine, quadraginta quinque milibus passuum distante, per fistulas et ductus recipiebat aquas. Stat et insignis bayarum portus navibus omni vento securus. Cernuntur et ad huc pile, et fragmenta confracti, et disiecti pontis illius magnifici, quo caius gallicola romanorum tercius imperator per tria miliaria profundissimi maris puteolos bayasque coniunxit. Videtur et in alto mari sive illud excreverit, sive terra subsederit antiqui edificiorum muri, et inter strate silicibus, et totus bayarum aspectus dulcis, placidus, et suavis est. Ut non sine causa ab illustri poeta dictum credatur. Nullus in orbe sinus bays prelucet amenis. Sed hec melius visus quam scriptura distinxit. Nunc superest ut aliquas tibi notulas tradam per quas balneandi modum, et regulam assequaris :—

De hoc vide in secundo libro cap. iiii.

Qua balnea acuunt et provocant humores, nunquam ad balnea venias nisi purgatus.

Cum ad balnea veneris dimicte turbationes et